

mendis careat, varia Editionis in *Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 459.* errata corrigi possunt. Ita mox in Praef. *libens animo* rectius est, quam *libenti animo*, et pro *Cetera gemmatis* manifeste reponendum *Cerea*. Sic in ipsius Operis ingressu legendum *Dominumque tonantem* pro *domumque*, et fortasse *foetorem linquite* pro *paedo-*

rem. Pro *toxica fucis* nofter habet *toxica fucis*, id est, *succis*, nisi forsitan *Sedulius* scripserit *fulcis*. *Meliore cibi* pro *cibo*, et *silvamque parentem* pro *patentem* typi *σφαλματα* habeo, &c. Corruptissimum est in Codice *Carmen ad Theodosium Aug.* idque ad Operis calcem positum. Post quod ridicule Librarius:

Finis adest operis. mercedem posco laboris.

Quia precium sanguinis est. Maria bilf.

CCXXXI.

U. 636 Codex chartaceus lat. *Απογέφυον* initio Sec. XVI. paratum, Folior. 149. 8. eleganti manu, rubricis distinctum, de cuius Possessoribus sub finem dicam, exhibet I. *Aratoris* Eccl. Rom. Subdiaconi a. 556. vivis exemti *Historiam Apostolicam* versu heroico redditam, cuius bina Exempla jam *Vol. I. P. I. col. 421—27.* protuli. Initium hic a gemina *Elegia ad Florianum Abb. et Vigilium* Papam eodem modo, ut ibi

in Exemplo II. inscripta. Textum a prima manu quandoque mendosum secunda passim consanavit, sunt tamen etiam a prima manu non pauca, quibus lectionem *Bibl. PP. Lugd. T. X. p. 125.* expurges, et quidem eadem fere, quae ad priora illa Exempla notavi. Liber uterque non decurrit continuo, sed Particulae argumentis rubro exaratis distinguuntur. Ad calcem legitur: *Historie Apostolice Aratoris Subdiaconi finit Liber 2^{us}.* Accedunt tria Corollaria: 1) Elogium:

Versibus egregijs decursum clarus Arator

Carmen apostolicis cecinit insigne (praefigne?) coronis,

Historiamque prius proponens cautus ubique

Substituit typicę sensatim verba figurę.

Lingua canora bonum testatur iure Poetam.

Mysticus ingenium sic indicat ordo profundum.

Autorem ignoro. 2) Narratiuncula illa de oblatione et publica recitatione hujus Operis, quam in Codice *Vatic.* inventam protulit *Bellarminus de Scriptt. Eccl.* quaeque prostat in *Bibl. PP. cit.*

sed emendo e Codice meo: *Surgentio viro uenerabili primicerio scolę notariorum pro Sargentius vir &c. certe enim Papa dedit collocandum. Item religiosorum turba interfero: simul et laicorum, nobilium*

lium simul et populorum diuersorum. Demum lego: ambo libri IV. vicibus sunt auditi, cum uno die medietas libri tantum modo legeretur — et hæc recitatio facta his diebus. Prima idus Aprilis. Secunda XV. Kl. Maji. Tertia VIII. idus Marcii. Quarta uero die III. Kl. Ianuariarum, pro: ambo libri septem vicibus sunt auditi, cum unius medietas libri tantum legeretur — Eadem hæc repetitio facta est his diebus, prima Idib. Aprilis, secunda 15. Kalend. Maji, tertia uero 3. Kalend. Junii. Quamquam non diffiteor, haerere me in praepostero mensium meorum ordine. 3) Narratiuncula, quae inscribitur *Argumentum*, nempe Poematis, quae uero rem a turbis inter *Agapitum* P. R. et *Anthimum* Patriarcham CPolit. orditur, parumque fidei meretur; neque enim vel *Agapiti*, vel *Silverii* nomen exprimit, Augustam non *Theodoram*, sed *Eleutheriam* adpellat, pro *Justiniano* tantum *Regis* nomine utitur, cumque *Vigilium* in itinere extinctum, Romamque ab Exercitu Imp. obsidione Barbarorum liberatam retulisset, concludit: *Quod Arator, sicut ceteri Romani, meritis Vigilij pape euenisse putauit. & ideo in principio Poematis sui hoc tangit.* Quis haec cum Elegia praevia ad *Vigilium*, Poemateque ei vivo tradito facile componet?

II. fol. 72. Incipit Liber *Alcimi Aviti Venennensis* (Viennen-

sis Gall.) *Episcopi De Inicio Mundi.* En alium Poetam christianum nihil concedentem *Aratori*, et argumento majorem, ut aetate; obiit enim a. 525. Poema illius V. *Libris* constans, quibus, ut videbimus, accessit alterius *Argumenti Sextus*, primus in lucem dedit *Job. Adelphus* typis *Argentinatib.* a. 1507. Editio optima est *Parisiensis Jac. Sirmondi* a. 1643. 8. unde *Avitus* in *Bibliothecam PP. Lugd.* T. IX. ad p. 560. transit; ego uero *Textum* cum T. II. *Opp. varior. Sirmondi Paris.* 1696. col. 183. f. contuli, nihilque in capto specimine reperi, quod lectioni *Sirmond.* praeferas, ni fortasse v. 40. pro: *rarus nunc prodere pontus*, legere malis cum *Codice: noster producere pontus.* Ceterum abest ab eo *Prologus* profaicus ad *Apollinarem*, et *Liber V.* uerbosius inscribitur *De Exitu Filiorum Israel Et Submersione Egiptiorum In Mari Rubro.* *Libro VI.* praeest *Prefacio Alcimi Episcopi Venennensis* (sic ubique) *In Librum Sextum De Consolatoria Laude Castitatis.* In hac cum *Codice nostro* legendum censeo: *Quos tamen cum ego post denuntiatum, pro: Quos tunc ego &c. item: vel de religione communiter, pro: vel de religione parentum communium,* quae habet *Sirmondus.* Ceterum is in ipso Poemate castigatior est. Ad calcem rubro, sed a diversa manu, adscriptum est:

*Alcimus hęc lubrico texti que carmina versu
Primis iam breuibus sed sena Volumina pennis
Conscripsi en celeris deno sub lumine solis.*

Hos Versus, quorum nec *Sirmondus*; nec *Leyserus* aut *Fabricius* mēminit, non Autoris, sed Descriptoris cuiusdam esse puto, qui intra *Decem Dies* laborem suum exegerit; quomodo enim *Auitus* inter ceteras muneris sui curas tam paucis diebus Versus 3216. pepigisset? Igitur etiam *textit* legendum censeo pro *texti*, quod *Auitus* ipse vix adhibuisset pro *textuit*.

*Est locus ex omni medium quem credimus orbe,
Golgota iudei patrio cognomine dicunt. &c.*

Titulo *Ligni Vitae* inscriptum sub *Cypriani* nomine etiam in *Collect. Poetar. Vett. Ecclesiasticor. Ge. Fabricii, Basil. 1564. p. 302. 4.* legitur. Quidam Codices praenotant: *De Pascha*. Abjudicatum merito a *Cypriano Critici Victorino* tribuunt, nutant tamen inter *Petabionensem* et *Pisaviensem*, sub cuius nomine extat inter *Cypriani Notae* in edit. *Opp.* curata ab *Joh. Fello, Amst. 1700. p. 139. f.* ubi notatur e *Pamelio: Bedam de Re metrica* jam illud *Victorino Pisav.* adscripsisse, quae de re in meo quidem *Beda Colon. 1688. f.* nihil reperio. Cetera miror *Fellum* non magis usum fuisse *Fabricio*, cuius lectio pluribus locis praeferenda videtur. Atque cum ea conspirat Codex noster; legit tamen *renouati mentibus*, quod propius accedit ad Apostolum *Ephes. IV. 23. pro renovatis*

Neque, quid sibi velit τὸ *Primis iam breuibus*, satis adsequor. Ceterum pluribus, si locus hic foret, haud difficulter ostendi posset, *Miltonum* in condendo suo *Paradiso* lectione Nostri non parum adjutum fuisse.

III. fol. 148. *Cecilij Cypriani episcopi Carthaginensis de ligno crucis carmen.*

mentibus. Ad calcem rubro additum: Inueni in antiquissimo codice sed non legibili propter etatem quod magna pars corrosa erat, elegantissimum carmen Cecilij Cypriani de Resurrectione, quod quia transcribere non potui, ingemui sepe & dolui, doleam donec alterum exemplar se mihi offerat. Joh. Cuspiniani nostri manus est. Verum moderare dolori, mi Cuspiniane! Ut antiquum, Cypriani non est, neque etiam Tertulliani, ad quem retulit de Judicio Domini inscriptum Fabricius in Collect. cit. p. 256. Extat tamen ad Tertulliani Rigaltiani calcem Paris. 1634. p. 808. f. et rursus e Cod. Corbejensi 900. annor. vulgatum a Martenio in Vett. Scriptor. et Monum. ampl. Collect. Paris. 1733. T. IX. col. 1. f. Apud priorem incipit:

Quis

Quis mihi ruricolae aptabit carmine Musas;

apud alterum vero:

Qui mihi ruricolae optavi carmine Musas.

Cuspiniani primum fuisse praeclarum hunc Codiculum, docet *Herastichon* thecae posticae inscriptum: *Liber ad Lectorem.*

Scire cupis, cuiam liber ipse ego servio servus?

Dicere si possem, lingua parata foret.

Tu tamen hoc triplices monogrammate disce figuras,

Quis sine me domini nomina scire potes.

Hic quondam musas, medicam sed nunc colit artem,

Hec studia, has artes Cuspinianus amat.

Oblitus est, quod memorat, *Monogramma* adpingere. Est vero illud, ut in aliis ejus Libris compareret, tale (M). Quod lege: *Cuspinianus Medicus Poeta*. Igitur parum ab illo *Celtis* (IP), quod legendum *Conradus Celtis Protucius Poeta*. Haec monere visum, quia Libri alterutro signati passim per Bibliothecas vagantur. A *Cuspiniano* porro Exemplum nostrum ad *Job. Fabri* Ep. Vienn. devenit, id, quod testatur non solum

anteriori thecae adglutinata Formula impressa, sed etiam principio et calci manu adscripta, et quidem manu *Job. Sebastiani Puffer*, de quo Viro ad *Lutherum* deinceps digresso dixi in vernac. *Memorabilib. Bibl. Garell.* p. 293. et in *Hist. Typogr. Vien.* p. 431. Fuit is igitur juvenis in contubernio et disciplina *Fabri*, qui si supervixisset, quod Magistris toties usuvenit, dicere poterat:

Deplorata Coloni

Vota jacent, longique perit labor irritus anni.

CCXXXII.

U. 22 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 103. f. oblongo nitide exaratus, rubricis ubertim distinctus, et quondam docti Icti nostri *Job. Alex. Brassicani* continet *Auroram*, sive Biblia metrica *Petri de Riga*, qui Can. et Can-

tor Ecclesiae *Rhemensis* diem obiit a. 1209. Operis hujus Exemplaria X. descripsimus *Vol. superiore* a pag. 327. *Codd. CXXV—XXXIV.* undecimum vero *Vol. praesenti.* Dabimus igitur et praesentis *διαγωσιμ.* *Incipit Prologus in novo testamento:*

Post